

21

Ch. 2, num. 248

26

DISSERTATIO IN AVGVRALIS  
DE  
**CEREBRINA  
CERTITVDINE  
CORPORIS  
DE LICTI**

P. 423.

QVAM  
PRAESIDE

**JO. BALTHASARE WERNHERO**

JCTO, POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS  
ET ELECT. SAX. CONSILIARIO AVLICO  
ET ORDINARIO, ETC.

IN ACADEMIA VITEMBERGENSI

D. DECEMBR. M DCC XIX.

PRO CONSEQUENDIS  
SVMMIS IN VTRQVE JURE HONORIBVS



PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS

PVLICE VENTILANDAM PROPONET

AVCTOR

**JO. GODOFREDVS VOGELIUS**  
DRESDENSIS.

VITEMBERGAE, EX OFFICINA VIDVÆ GERDESIAE.

АИЛНЯЛО  
ЕСТЬ СТАДИИ  
СОЯПОРИ  
ИГОРЫ  
СИДИ  
ДОГАЛАНИИ  
ФЕЛИКСИИ  
О. ГОД



§. I.

**D**ervulgata est eorum, qui ad res Criminales commentati sunt, doctrina: *Capitis poene propter solam rei confessionem locum hanc esse, nisi aliunde simul de corpore delicti, ut vocant, constet.* Contra ea aliam quamvis poenam, et si fortassis corpus affligat, reo, qui delictum factetur, dictari posse volunt, ut nullus de corpore delicti certitudo habeatur. Vid. CARPZ. P. 4. C. 3. d. 16. ibigne cit. Dd. & in Pr. Crim. P. 1. Q. 17. n. 42. Videamus, quibus illi in re tam gravi fundamentis nitantur.

§. II.

Primariam argumenti sedem constituunt in L. 1. §. 24. ff. d. SCto Silan. ubi haec verba habentur: *Item illud sciendum est, nisi constet, aliquem esse occisum, non haberi de familia questionem; liquere igitur debet, scelere interemptum, ut SCto locus sit.* Atqui manifestum est, in hac lege inter poenas capitis, & alias mitiores, haud distingvi, sed promiscue, ut de cæde Domini certus sit Judex, requiri. Eandemque mentem suam esse, Autor legis, ULPIANUS, disertis verbis ostendit in §. immediate sequenti, quod nempe per questionem non tormenta tantum, sed omnem

*inquisitionem* intelligat. Ut hinc nullum memoratae distinctionis vestigium in illo Juris textu reperire liceat; sed potius dicendum sit, ne quidem inquirendum, nemum poenam, utrū levissimam, imponi debere prius, quam crimen, de quo agitur, revera commissum esse, liquido appareat.

## §. III.

Nec vero magis præsidium vulgatae doctrinæ accedit ex L. 23. §. ult. ff. ad L. Aquil. ubi idem Ulpianus ait: *Si quis hominem vivum falso confiteatur occidisse, postea paratus sit ostendere, hominem vivum esse, Julianus scribit, cessare Aquiliam; quamvis confessus sit, sc occidisse; hoc enim solum Actori remittere confessoriā actionem, ne necesse habeat docere, eum occidisse, ceterum occisum esse hominem a quoconque oportet.* Parum abest, quin dicam, in universum in hac de corpore delicti materia incongrue ad illam legem provocari. Neque enim id ibi habetur, quod reus confessus aliter puniri nequeat, quam si crimen perpetratum esse, aliunde constet. Quin potius ex adverso haud obscure inde probari potest, solam confessionem rei, quod hominem occiderit, sufficere, quamdui contrarium, quod homo adhuc vivat, probari haud possit. Deinde manifestum est, hic non de poena capitali infligenda, sed tantum de L. Aquilia agi, quæ non publicum, sed tantum interesse privatum persequitur. Ut hinc pro communi opinione firmando nullum omnino fundamentum ex c. l. desumi queat.

## §. IV.

Præterea provocari solet ad L. 5. §. 2. ff. *Ne quis eum, qui in jus voc. cuius verba hæc sunt: Docere autem debet quis, per hanc exemptionem factum, quo minus in Jus producetur; ceterum si nihilominus productus est, cessat poena; quo-*

*niam*

*niam verba cum effectu sunt accipienda.* Sed quis non videt, male hæc omnia ad casum præsentem applicari. Nam & in hac lege de poena Criminali plane sermo haud est, sed de Actione in factum Civili, quæ sua natura exigit, ut damnum actu illatum sit, quod eo casu cessat, ubi violenta exemptione haud nocuit, sed nihilosecius reus in Judicio productus est. Inde vero vulgatam distinctionem, quoad corpus delicti, inter poenas capitales & non capitales afferere, est a baculo ad angulum argumentari velle.

## §. V.

Majorem speciem habet argumentum, quod arcet sunt *ex l. i. §. 27. ff. de Quæst.* ubi **ULPIANVS** ait: *Si quis ultro de maleficio fateatur, non semper ei fides habenda est; nonnunquam enim aut meru, aut qua alia de causa, in se consententur.* Evidenter aperte satis hic traditur regula, quod sola rei confessio non semper fidem mereatur, sed quod tantum in poena capitum imponenda ea valere debeat, de eo nullum in cit. textu vestigium extat.

## §. VI.

Illud vero plane miserum, & elumbis argumentum est, quod petitur *ex l. 24. ff. d. Testam. milit.* ubi habetur: *quod privilegium militibus datum, ut quoquo modo facta ab his testamenta rata sint, sic intelligi debeat, ut utique prius constare debeat, testamentum factum esse.* Quid enim, quæso, hoc ad corpus delicti, in causa Criminali investigandum, speciatimque ad distinctionem inter poenas capitales, aliasque extraordinarias, evincendam facit? Ut testamentum valeat, requiri, ut testamentum adsit, adeo sanæ rationi consentaneum est, ut contrarium apparentem contradictionem involvat. Quod in ea, in qua versamur, quæstione secus esse, ita liquidum est, ut

hoc prolixius persequi nefas ducam, ne pluribus id ingerendo stuporis Lectorem arguere videar.

§. VII.

Neque etiam ad evincendum id, quod in quæstio-  
ne est, maius pondus afferit L. 66. §. 4. ff. d. furt. ubi Paulus ait: *Si tu Titium commendaveris, quasi idoneum, cui crederem, & ego in Titium inquisiv, deinde tu alium adducas, quasi Titium, furtum facies, quia Titium esse bunc credo.* Plusquam Lynceus sit oportet, cui in hoc textu vel unicum verbum de corpore delicti videre liceat. Tantum abest, ut ad faciendam distinctionem vulgatam, ullum momentum ex eo deponi queat. Par ratio est l. 6.  
ff. de L. Corin. de fass. unde verba: *prius oportet esse aliquod testamentum, vel non jure factum, ne Senatus Consulto locus sit, ab instituto prorsus aliena, non nisi incongrue & inepte ad præsentem materiam trahuntur.*

§. VIII.

Rationes vero, quas addit CARPOVIVS in Pr. Crim.  
P. 1. q. 16. n. 2. seq. quod in potestate alicujus non sit, sua confessione facere delictum, ubi tale non est, quod nemo membrorum suorum dominus fit, quod, ubi lex disponit aliquid respectu certæ rei, de illa re prius constare debeat, & quod is, qui vult probare qualitatem, prius probare debeat substantiam, in qua illa qualitas fundetur, perinde ad quaslibet alias poenas applicari queunt, atque ad illas, quæ caput auferunt, & ultimum supplicium involvunt. Ut ut vero Doctrina hæc nullum, ut vidimus, in jure Civili, fundamentum habeat, illud tam rationis est, ut, quo gravior est poena, eo diligentior Judex in corpore delicti investigando esse debeat. Quocirca communem doctrinam ita temperandam esse arbitror, ut in poenis non capitalibus, præsertim iis, quæ corpus affigunt,

fligunt, itidem aliqua corporis delicti certitudo, licet non tanta, quanta in poenis, ultimum supplicium inferentibus, adesse debeat. Neque aliud ex P. 4. *Conf. Ele&th. 33.* evinci potest. Namque ibi præstruitur, furem cum re furtiva, quæ utique corpus delicti quodammodo repræsentat, deprehensum esse.

## §. IX.

Sed jam videamus, quomodo in Criminibus Capitalibus circa eruendum delicti corpus occupentur Doctores. Distinguunt inter delicta facti transeuntis, & permanentis. In illis solam confessionem, concurrentibus aliis conjecturis validis, ad condemnandum sufficere, putant, in his vero inspectione opus esse contendunt, antequam ultimi supplicii poena dictetur. Quæ regula uti in se fundamento ac ratione haut destituitur, ita in ea ad casus obvenientes, & specialia, quæ occurunt, delicta applicanda Doctores sibi non satis constant. Quod rursus exemplo CARPOVII, Practicorum, quos vocant, facile Principis, demonstrare licet.

## §. X.

Nempe is in *Pr. Crim. c. 1.* inter delicta facti permanentis recte refert *Parricidium*, in cuius poena ordinaria dictanda de corpore delicti plane & liquido constare debere, ait; id vero per solum cadaveris aspectum fieri, quamvis in eo nulla violentia aut vulnus lethale appareat. Ad textum in *Conf. Crim. Carol. Art. 149.* ubi accurata Cadaveris inspectio exigitur, atque, ut omnia vulnera cum omnibus qualitatibus, an punetum, an vero cæsim, illata, exacte describi debeant, respondet, eum de homicidio, non vero de parricidio, loqui. Rationem vero differentiæ in eo consistere, quod poenam homicidiis quoque incurrat, qui animum occidendi non habuit,

sed

8 DE CEREBRINA CERTITUDINE

sed vulnus tamen lethale dolose inflxit; priusquam igitur gladii poena in homicidio reus afficiatur, de vulnere lethali, & quod exinde occisus revera mortuus fuerit, constare debere; quam rationem deficere, putat, in Crimine Parricidii, quippe quod poena ordinaria non vindicetur, nisi delinquens parricidium ex proposito & animo occidendi commiserit; sufficere ergo hic, si reus confiteatur, se ex proposito & animo deliberato parricidium perpetrasse, occisumque corpus oculis Judicis subjiciatur.

§. XI.

Igitur ex mente & sententia CARPOVII simplex homicida, qui se animo occidendi aliquem obruncaſſe fatetur, non aliter, quam si de vulneris lethalitate constet, capitis poena affici potest. Sed Parricidii reus culei poenam ex sola confessione sua subire tenebitur, quamvis nullum accepti vulneris vestigium in cadavere appareat. Ego vero putarim, magis cautum & circumspetum Judicem esse debere in graviori poena, qualis culei est, irroganda, quam ubi de mitiori poena agitur. Quod si igitur confessio rei, quod occidendi animo hominem aggressus eum trucidaverit, cum occidicadavere ad poenam capitis in simplici homicidio haud sufficit, uti vult CARPOVIVS, qua specie, quæſo, aut ratione sufficere judicatur ad culei poenam in parricidio imponendam? Nec vero idoneo fundamento CARPOVIVS nititur. Primo enim nulla lege constitutum est, quod ad parricidii ordinariam poenam requiratur, ut occidendi animum parricida habuerit, nec vulnerandi animus dolosus sufficiat, si cædes inde secuta sit. Neque contrarium ex *Conf. Elec. 3. P. 4.* ad quam CARPOVIVS provocat, evinci potest. Non enim  
de

de occidendi animo quicquam ibi habetur, sed tantum parricidii dolosi fit mentio, quale etiam sine interficiendi animo, sola lædendi voluntate, committi potest. Deinde si vel maxime dicatur, occidendi intentionem in parricidio requiri, inde tamen haud consequitur, nullam in cadavere vulneris, aut Cicatricis, similiumque violentæ mortis signorum rationem habendam esse.

## §. XII.

Insequitur CARPZOVIVS: *Et certe, si aliud dicere-  
tur, infinita infanticidia impunita remanerent, cum sapissime  
meretrices infantes necantes digitum vel linteum in os in-  
fantis immittendo, cum suffocant; quo casu in corpore occisi  
infantis neque vulnus, nec cicatrix, neque concusso ali-  
qua, aliudque signum appareret.* Atqui idem in simplici  
homicidio metuendum est, in quo tamen inspectionem  
cadaveris, & lethalitatem vulneris necessario regulariter  
requiri, CARPZOVIVS concedit. Unde id, quod ibi-  
dem subjicit, *Judicem in parricidii criminе poenam ordi-  
nariam tuto dictare posse, siquidem totum corpus occisi infan-  
tis oculis non subiectatur, ossa tamen vel granaia infantis eo  
in loco, quem reus significavit, reperta fuerint, perinde de  
omni alio homicidio affirmari potest.*

## §. XIII.

Progradimur ad Corpus Delicti in Crimine *Hære-  
seos*, in quo investigando in primis cautum esse debere  
Judicem, res ipsa docet. Quocirca mirari licet, qui fa-  
ctum, quod CARPZOVIVS, quum in *Praxi sua Crimi-  
nali P. i. Q. 44.* de Crimine hæreseos, ejusque poena la-  
te tractaret, hoc de corpore delicti eruendo tam neces-  
sarium argumentum ne attigerit quidem. Imo, si quid  
video, tota CARPZOVII doctrina hac in parte male  
cohæret. *Quod ut palpabile fiat, age, recenseamus*

B funda-

fundamenta & rationes, quibus contra poenas in hæreticos statuendas militat. Provocat 1. ad verba LVTHERI Tom. 2. Jenens. Germ. fol. 108. verb. Weltliche Obrigkeit soll zufrieden seyn / und ihres Dinges warten / und lassen glauben so und so / wie man kan und will / und niemand mit Gewalt dringen/ denn es ist ein frey Werk um den Glauben &c. & Tom. 4. Jenens. Germ. fol. 804. verb. Man soll ja einen jeden glauben lassen / was er wolle. Glaubet er unrecht / so hat er genung Straffe am ewigen Feuer in der Hölle / warum will man sie dann martern / so fern sie im Glauben irren / und nicht darneben aufrührisch wiederstreben &c. Addit 2. quod nihil absurdius, quam fidem in anima, quæ Spiritus est, cogere velle, cum assensus, qui fidei pars est, sit actus a voluntate elicitus. Allegat 3. verba LACTANTII: *Quis mihi imponat necessitatem, vel credendi, quod nolim, vel quod velim, non credendi, nihil tam voluntarium, quam religio, in qua si animus aversus, jam sublata, jam nulla est.* Citat postea testimonium HENRICI III. Gallie Regis, & MAXIM. II. Imp. Adjicit 4. novam rationem, quod violentis mediis animi subditorum ab illa religione, ad quam coguntur, magis abalienentur, & irritentur, occasio detur cædibus, & tranquillitas Reipublicæ turbeatur. Denique 5. varia S. Scripturæ dicta, speciatim Matth. c. XIII. v. 28. de zaniis in agro non evelendis, excitat.

## §. XIV.

*Quis jam non existimet, ubi hæc legerit, juxta CARPZO VII sententiam hæreticos, si modo sedatio & blasphemia absit, ab omni poena immunes esse debere, & tolerandos esse. Ettamen idem CARPZO VIVS c. l. omnes in hæreticos poenas, sola capitali excepta, admittit & probat, & Magistratum Politicum, si hac in parte*

parte indulgear, neque in haereticos animadvertat, officio suo non satis fungi, contendit.

## §. XV.

Ego ita sentio. Ut in omni inquisitione, & poena graviori imponenda, de corpore delicti constare debet, quod omnes concedunt, ita, ubi cum reis hæreticæ prævitatis res est, iidemque puniendi sunt, præcipuam hanc Judicis curam esse debere. Nec vero est, cur quispiam putet, in hæresi ipsum errorem circa fundamentum fidei Christianæ ad corpus delicti sufficere, de quo proinde ulterius laborandum hanc sit. Namque error est in intellectu, non in voluntate. Atqui actus intellectus mere tales, ubi voluntas haut concurrit, objectum legum, in primis poenalium, haut constituant, neque a deo delictum continent. Neque enim præcipi cum effectu potest, ut intellectus aliter rem apprehendat, quam ea se ipse exhibet, non magis sane, quam oculis injungi potest, ut objectum sub alia imagine recipient, quam illud se iisdem offert. Assensus voluntatis formatur ex apprehensione intellectus, quæ, ut dixi, ab hominis arbitrio non dependet, sed ad eas facultates pertinet, quas philosophi naturales appellant, liberis contradistinctas. Apparet igitur, nondum corpus aliquod delicti, propter quod poenæ locus sit, adesse, et si vel maxime de errore aliquius circa fundamentalem fidei articulum, vel ex scriptis, vel ex propria ejus confessione, liquido constet

## §. XVI.

Cum igitur corpus delicti, in crimine hærefoes, in actibus intellectus frustra queratur, folcite indagandum est Judici, adversus hæreticum procedere volenti, an malitia aliqua ex parte voluntatis, sine qua nul-

lum verum delictum concipi aut intelligi potest, apparet. Hæc enim in poena irroganda proprio corpus delicti erit. Sic ergo ubi hæreticus seditione agit, aut hæresin cum maledictis & blasphemis conjungit, poenis, etiam capitalibus, recte subjicietur, quas tamen non ut hæreticus, seu quatenus in intellectu errat, sed, ut quivis alias Civis seditionis, sustinebit. Neque hic aliqua in reo pertinacia requiritur, sed & actus præteriti, si de illis constet, puniri queunt.

### §. XVII.

Præterea si hæretico a Magistratu interdictum sit, Doctrinam falsam disseminare & spargere, is vero, inhibitione non attenta, alios seducere & corrumpere pergit, is propter obsequium, Magistrati denegatum, ut quisque alias civis inobediens, punietur, ubi corpus delicti facile per testes investigari potest. Sic etiam non dubito, injungi hæretico posse, ut Sacris orthodoxis intersit, quo sic occasionem nanciscatur, errorem suum exuendi, & tenebras intellectui offusas dissipandi. Quod si non fecerit, propter Jussum Magistratus insuper habitum, poenæ rursus sine dubio reus erit.

### §. XVIII.

Sicuti vero in memoratis haec tenus casibus, in corpore delicti eruendo, nulla difficultas occurrit, cum de illo ex testium, qui fide digni sint, depositione facile constare possit, ita haud paulo difficilius est, corpus delicti in tali hæretico reperire, qui extra ea, quæ credenda sunt, nec nisi divina virtute credi possunt, Magistrati debitam obedientiam præstat, tranquille vivit, neque hæresin suam disseminat, sed tantum rogatus sententiam suam dicit, an is ullo modo, sive exilio, sive alia quavis poena, affici queat. Multi sunt, qui hoc simpli-

simpliciter negant, quorum scripta, cum in omnium manibus sint, citare nihil attinet. Fundamentum, ad quod omnes eorum rationes reduci queunt, huc reddit, quod tali casu corpus delicti omnino deficiat. Quod admitto, adeoque nulli coercitioni locum esse largior, quandiu nulla omnino malitia ex parte voluntatis se exercit. Utrum vero haec ex sola pertinaci erroris defensione colligi possit, queritur? Quod ita generaliter nec affirmari, nec negari posse, palam est; saepissime enim, imo quotidie, fieri solet, ut is, qui in capituli errore versatur, omnes tamen a se dissentientes errare, se solum sapere, constanter putet, firmiterque sibi persuadeat, stupidum esse, quicunque sententiam ipsius admittere, atque amplecti nolit. Quid vero, si talis haereticus ex S. Scriptura solide refutatus, atque error, in quo haeret, ad oculum ipsi, etiam luce meridiana, quod ajunt, clarius demonstratus sit, neque tamen is errorem agnoscere, & ad veritatem redire velit, annon tunc malitia voluntatis, quae poenam mereatur, in apricum sati producta censeri deber? Ne tunc quidem de corpore delicti sufficienter constare puto. Fieri enim potest, ut argumentorum, et si evidentissima illa sint, vim nondum assequatur, & capiat; sive quod stupor in intellectu impedimentum injiciat, sive quod falsa perswasio, quae altissimas jam radices egit, difficulter expugnari, atque evelli possit. Cum ejusmodi haereticis atque fanaticis omnibus, moderate agendum, summoque studio cavendum, ne in nobis odium, minas, & persequendi studium deprehendant, omnisque vis coactiva absit, quippe quae neminem emendar, & bonum quidem civem, sed nunquam verum Christianum efficere apta est. Igitur saepius erudiendi, & quanta fieri potest,

animi moderatione monendi sunt, ut, invocato diligenter Numinis divini auxilio, S. Scripturam assidue legere, & in primis loca ostensa, quæ hæresin, quam fovent, damnant, meditari & ponderare, adeoque errorem suum tandem agnoscere discant. Coercitio & poena, qua nihil hic proficitur, procul habenda erit. Quæ omnia & Sacrae Scripturæ consentanea sunt, & consensu Theologorum Orthodoxorum unanimi, quod sciam, confirmantur.

## §. XVIII.

Restat igitur, ut illos hæreticos videamus, qui utut intus, & in corde, se erroris sui convictos esse sentiant, hoc tamen ore profiteri, & hæresin dimittere, pertinaciter detrectant, cæteroquin autem a seditione, & propagandi erroris studio alieni sunt. Hos utique, utut fortassis non adeo frequentes sint, poenis affici posse non dubito. Talis enim, prout hic descripta est, pertinacia, non in intellectu, sed voluntate est, & manifestam animi malitiam continet. Atenimvero hic maxima circumspectio in Judice requiritur, ne quamvis constanter erroris defensionem statim pro tali malitiosa pertinacia habeat. Itaque corpus delicti solcitate inveftigari oportet, quod neque in sola obstinatione, neque in simplici silentio, aut quando ad argumenta veritatis respondere, aut non vult, aut non potest, sed in liquidis actibus, malitiam voluntatis detegentibus, quæri debet. Cujus exempla esse possunt, si v. g. imprudens hæreticus erga alios fateatur, se de errore suo convictum, tamen veritatem vel propter constantiæ gloriam, vel ex odio fortassis erga Clerum orthodoxum, aut alia quavis ex causa, profiteri nolle. Sed, ut monui, tales circumstantiæ non supponi, aut incerta conjectura præsumi, sed

sed ad inveniendum corpus delicti, sufficienter probari debent. Quodsi hujusmodi casus rariores & vix dabiles sunt, raræ etiam & vix dabiles debebant esse poenæ, in hujus generis hæreticos, statuendæ.

## §. XX.

Transeamus nunc ad Crimen Magie. Quale dari, nec solum pactum expressum cum Diabolo iniiri, sed & concubitum nefandum cum eo exerceri posse, vel ob solam P. 4. *Conſt. Elecſt.*, 2. quæ certam in utrumque casum poenam definit, dubitare nefas videatur. Illud tantum hoc loco moneri sufficiat, quod & in crimine magie, ad poenam, in primis capitalem, infligendam Judex de Corpore delicti certus esse debeat. Evidem non reprehendo CARPZOVIVM, quando *Pr. Crim. P. Q. 49.* statuit, in delictis occultis & difficilis probationis satis esse, si de illorum corpore per conjecturas constet, & quod præsumtiva, & conjecturata, ut loquitur, probatio pro plena & concludenti habeatur. Sedenimvero conjectura illæ ita comparatae esse debent, ut veritatem facti, gravi, & ratione sua uenti, Judici persuadere queant; quum tali casu non de Stillicidiis, aur glande legenda, sed vita hominis, agatur.

## §. XXI.

Igitur nunc videamus Indicia, quæ CARPZOVIVS e. l. ad probandum delicti corpus in Crimine Magie affert. Primum indicium eidem est, si Larvia hoc Crimen Confessæ cum aliis certis & convictis Magis ſæpius converudinem & familiaritatem habuerint. Pro qua sententia excitat *Ord. Crim. Art. 44. verb.* Auch ſonderliche Gemeinschafft. Additque, multis citatis textibus Juris, quibus opus non fuerat, quod ſimilis ſimili plerumque adha-

adhærescat. Sed hic magna circumspectione opus est. Namque diligenter examinandum erit, qualis fuerit conversatio, & unde orta; Præterea non appareat, quomodo magna alicui familiaritas, cum certis & convictis magis, intercedere queat; cum utique tales carceri includi, & ad ignis supplicium destinari soleant, ut sine permisso Magistratus adiri, & compellari facile haud queant.

## §. XXII.

Aliud Magiæ indicium CARPZOVIO est, si cubili, domo quo saga momento abfuerit, foribus occlusis, que vesperi incubuerit lecto suo, ac postea in idem cubile revertatur. Hic vero necesse est, ut testes præsentes fuerint, cum foemina lectum peteret, in eoque recumberet, & vigilantes accurate observaverint, eandem per januam clausam exivisse, lecto vacuo relieto, ac postea rursus, clausis foribus in cubile se receperisse. Testes etiam graves esse debent, ejusque ætatis & conditionis, ut fidem mereantur. Neque enim, ubi de causa sanguinis agitur, quævis aniles fabulæ audiri debent. Quod judicium etiam de illo Indicio, si Lamia oculos fasinet, intantetque carmina, ferri oportet. Quod enim hoc factum sit, difficillimæ probationis est, neque ad id probandum, quævis præstigia & oculorum ludibria sufficiunt. Illud vero simplex valde, nec Judicis persona satis dignum Magiæ indicium est, quod CARPZOVIVS c. l. addit: *Si flere & lacrymari non possit.* Idemque viris magis, quam mulieribus, quæ, ut flerent, oculos erudiere suos, metuendum est. Quasi hominum quisque in potestate lacrymas, ut risum, habeat, neque id a cuiusvis, vel temperamento, vel consuetudine, aliisque circumstantiis, penderet. Miror, non addi indicium, si foemina in flumen delata, non

non submergatur, sed aquæ innatet; quam egregiam Criminis Magiæ purgationem olim inter Germanos usurpatam fuisse constat.

## §. XXIII.

Addit *Carpzovius*, ex damno etiam artibus magicis illato hominibus, vel jumentis, probabiliter colligendum foedus, aut pactionem cum Satana fuisse contractum, ut quæ potissimum eo tendat, quo Dæmonis auxilio freti aliis etiam quasi beneficia præstanto, noceant. Atenimvero ad certitudinem corporis delicti haud sufficit, damnum revera datum esse, sed præterea demonstrari debet, ex causis magicis eventum probabilitate secutum esse; cuius aliæ, & fortassis plane naturales causæ existere queunt.

## §. XXIV.

Pergit *Carpzovius* c. l. atque contendit, evidens & permanens factum præsumi, imo potius probari, si instrumentum obligationis, mutuique inter magum & Diabolum pacti, ab eo subsignatum reperiatur in scrinio ejus. Sed enim, si subscriptio & subsignatio ab eo solo facta, qui Magiæ accusatur, tantum indicium conatus, non Criminis ipsius, quod ab hoc plurimum differt, erit. Neque vero memini casus, ubi vera ipsius Diaboli manus, & sigillum ostensum fuerit. Sicut etiam Sermones a Saga cum Dæmone habitu diligenter examinandi sunt. *Invocatio* etiam diaboli per se quidem atrox idolatria est, gravissimamque poenam meretur, sed nondum pacti cum Dæmone expresse initi legitimum indicium habendum erit.

## §. XXV.

Subjicit *CARPZOVIUS*, confessionem rei cum aliorum magorum ac lamiarum confessionibus, conferendam esse, ac pro-

C

be

be advertendum, an cum iisdem concordet, & conveniat; quæ concordantia veritatem ac certitudinem delicti probabiliter importet. Provocat deinde ad Io. Bod. qui scripsiter, omnium, quotquot sint, vel in remotissimis & longissime diskitis terris, magorum confessiones similes esse, & concordantes; Propriam quoque experientiam ex Actis, ad Seab. Lipsiensem delatis, haustam allegat; unde didicerit, quod omnes fere unanimiter deponant, Dæmonem in forma Viri aut Juvenis vestimentis induiti, sed ungulam aut pedem bovis, vaccæ, aut equi habentis sibi comparuisse; illas etiam, quæ concubitum cum diabolo exercuerint, in hoc convenire, quod semen & membrum virile fuerit frigidum, item quod Dæmon nomine peculiari, & sëpissime Iohannis ab illis vocari voluerit. At enim vero quam fallax & frigidum hoc argumentum sit, quivis sanæ mentis, nec præjudicis occoecatus, facile intelligit; ut hinc prudens Judex tali indicio fidere hanc debeat. Nam & fabularum in diversis provinciis consensio dari, eademque ab uno loco in alium, perpetua velut traditione, bona fide transire queunt.

## §. XXVI.

In universum circa hoc negotium recte monet BEYERS Delin. Jur. Crim. ad art. 44. pos. 19. seqq. discernendam esse Magiam Naturalem, a supernaturali; illam, si alias noceat, etiam illicitam esse, sed non ultimo supplicio expiandam; neque per sævos cruciatus atque tormenta indagandam; porro examinandum, an suspectus, vel jam confessus, sit temperamenti viscidus, & valde melancholici, quales homines sàpè videant, quod non est, ati a se fieri putent, quod longe aliam originem habeat; denique in re incerta, qualis vel maxi-

maxime hæc sit, magis pro reo, quam contra eum, laborandum esse. Addo, corpus delicti in crimine tam obscuro non ex anilibus fabulis colligi, sed, maxima cura, atque industria adhibita, ex certis & indubitatis rerum argumentis arcessi debere. Ut hinc, mea sententia, duo extrema hic vitanda sint, unum, ne temere crimen Magiæ, tot seculorum experientia, firmatum, in dubium vocetur, aut prorsus negetur; alterum, ne quævis simplicium, aut insanientium muliercularum, deliramenta, vel inquisitione, vel rogo, digna existimemus.

## §. XXVII.

Succedit Crimen *Adulterii*; in quo, ad infligendam capitalem poenam, corpus delicti sufficiens adesse censetur, si vel utriusque partis confessio haberi possit, vel unius etiam confessio tormentis extorta, aut aliis certis atque indubitatis indicis stipata fuerit. Vbi primo nullum fundamentum video, cur propter solam unius partis confessionem quævis poena, capitali, mitior, uti CARPOZIVS c. 1. n. 34. seqq. statuit, etiam fustigationis, dictari queat, et si nullum criminis commissi indicium probabile concurrat. Evidem citatur P. 4. Conf. Elecl. 33. ubi sur confessus fustigatione ac perpetua relegatione puniri jubetur, quamvis de ipso facto nihil certi cognosci possit. At enim vero primum hujusmodi jus singulare in facto peculiariter constitutum ad alia delicta non statim extendi debet. Præsertim cum in materia penal, qualis hæc est, restictivam interpretationem adhiberi oporteat. Deinde, ut superius §. 9. in fin. monui, in casu, quem laudata Constitutio supponit, non omne corpus delicti deficit.

## §. XXVIII.

Alterum, quo CARPOZIVS nititur, fundamentum  
C 2  
est;

est, quod reus, etiam si crimen confessus non sit, ex solis indiciis & præsumptionibus in pœnam extraordinariam condemnari possit. Quod puto, aperte falsum esse, si Judicis personam spectes. Nulli enim pœnæ regulariter, & ubi aliud lege speciatim constitutum haud est, locus esse potest, nisi reus vel crimen confessus, vel plene convictus fuerit. Solæ conjecturæ, & probabilia indicia, ad remedium eruendæ veritatis dictandum sufficere quidem possunt, minus autem ad condemnandum. Neque aliud in *Lege*, quam CARPZOVIVS ad partes vocat, 3. ff. de Offic. Pr. f. Vigil. haberet.

## §. XXIX.

Sicuti vero unius partis confessionem, certis atque indubitateis indiciis concurrentibus, ad capitis pœnam sufficere, nemo sanæ mentis facile dubitabit; ita nulla idonea ratio reddi potest, cur utriusque partis nuda confessio, unius confessioni, probabilius indiciis & conjecturis firmatae, anteferri, atque ad repræsentandum corpus delicti ita simpli citer sufficiens censeri debeat. Quidni enim eadem facilitate, qua una pars adulterium fatetur, altera pars quoque idem fateri possit? Ut non appareat, quale pondus magnopere correi confessio addere debeat, cum eadem alias nullum omnino indicium producere, aut complicem ullo modo gravare possit. Et cur, quæso, correi confessioni non æquiparetur unius idonei testis depositio, qui fortassis ipsum actum, & concubitum, suis oculis vidit, idemque Jurejurando assuerare paratus est? Eandem sententiam, quod ad ordinariam adulterii pœnam dictandam utriusque partis confessio necessaria haud sit, non obscure confirmat L. 17. §. 6. ff. d. *Adule.* ad quam sat frigide CARPZOVIVS responderet; quem fateri teneatur, Jure Digestorum etiam delictum hoc capitale fuisse.

Neque

Neque etiam in Jure Canonico textus occurrit, qui utriusque confessionem in Crimine adulterii simpliciter requirat.

## §. X X X .

Graviter idem hoc monuit *Illustris Dn. a BERGER El. Jurispr. Crim. pag. 135.* eamque sententiam stabilivit exemplo, Criminis Sodomiæ, ut & concubitus cum Dæmone, ubi ultimi supplicii poena dictari solet, quamvis confessio, ex utraque parte, frustra expectetur. Putat quidem *CARPZOVIUS c. l. 5, 32.* singularem dictorum criminum rationem esse. Sed ejus opinionis nullum idoneum argumentum affert. Nam quod ait, *hoc in crimine maleficii seu omnium horribilissimo specialiter receputum esse*, ac propterea in consequentiam non trahendum, nec ad delictum adulterii extendendum, ad id, quod in quaestione est, probandum haud sufficit, sed differentia ratio, quoad corpus delicti, evidenter ostendi debet. Evidem provocat ad *Jo. BODINVM in Daemonom. L. 4. c. 3.* qui contendit, *in hoc super alia omnia tam turpi, tam horrendo & detestando, omnique parricidio detestabiliori crimen, in quo tam difficiles sint probationes, tamque abdita scelera, ut e milleri vix unus merito suppicio affici possit, nihil necesse esse, religiose harere quenquam regulis procedendi, sed extra ordinem oportere fieri illius iudicium, diversa a ceteris criminibus ratione.* Sed enim vero tantum abest, ut propter atrocitatem criminis qualisunque corporis delicti certitudo sufficere debeat, ut potius illius intuitu multo accuratius hoc erui, *'omnia que ad vivum refescari debeant.*

## §. XXXI.

Addit *CARPZOVIUS:* *Præterea, si in delicto maleficii præsumtiones ad condemnationem non sufficerent, rarissime*

sime aut nunquam reus merito suppicio affici posset, quia istud crimen adeo est occultum, ut ne minima ejus vestigia aut corpus delicti unquam appareat. Hoc vero minus ad mortis supplicium properare debet Judex, quo major in corpore delicti reperiendo difficultas occurrit. Subicit laudatus CARPOVIVS, diversam rationem esse adulterit, quod licet quoque crimen sit obscurum, in eo tamen confessionem utriusque rei conformem corpus delicti representare. Sed vero quis non videt, probationis loco petiti id, quod est in principio. Ratio enim reddi debebat, cur in adulterii crimine utriusque partis confessio ad ultimi supplicii poenam necessaria sit, nec sola unius partis confessio cum indicis probabilibus satis esse, & nihil feci tamen in maleficio ad ignis supplicium sufficere debeat. Sed & illa, quae apud CARPOVIVM c. l. sequuntur, quod criminis adulterii socius absens & fugitus, si banni processu instituto non compareat, pro confessio haberet, atque hoc ipso veritas delicti demonstrari queat, hoc tantum probant, quod correi in fuga constituti confessio, et si facta, haberet posit, non vero id, quod eadem præcise requiratur, de quo in præsenti questio est, inferunt.

### §. XXXII.

Quamvis igitur, teste GANDIN. in Tr. Malef. Rubr. d. Presumt. & indic. quem citat CARPOVIVS, omnes Sapientes Bononiæ, ita senserint, sicutque etiam viderit, de consuetudine observari, causam tamen gravem sibi habere visus est Ordo Jctorum hujus Academiæ, cur de illa opinione, vulgo recepta, dubitaret, eandemque inter causas dubios Potentissimi Legislatoris Saxonis decisioni submitteret. Quæstum ipsum, quod extat apud Illustrem pp. a BERGER El. Ipr. Crim. p. 195. quia doctrinam hanc egre-

egregie illustrat, hoc loco recitari, non abs re fuerit. Verb. Nachdem auch ferner sich in facto ereignet / daß eine verehlichte Weibes - Person in diesem Chur - Fürsten-thum den mit einem ledigen Menschen begangenen Ehebruch Gerichtlich gestanden / und so wohl aus der ver-dächtichen Conversation/ als auch anderen Umständen zur Gnüge abzunehmen gewesen / daß solch Geständniß an ihm selbst wahr / und nicht etwa aus Furcht vor der Marter oder tædio vita herrührte/ So ist demnach Zweifel vorgefallen/ weil derjenige / mit welchem sie zum öfttern Ehebruch begangen zu haben gestanden/ in der letzten Conversation mit der In-quisition von derselben Chemann entleibet worden/ und man also seine Confession nicht haben können / ob ihr einseitiges Bekanntniß sie mit der ordentlichen Strafe des Ehebruchs zu belegen/ zulänglich sey? Davon einige unter Uns die Doctri-nam CARPZOVI in Pr. Crim. qu. 60. urgiret / welcher auch vormahls unsere Vorfahren/ wie num. 7. referiret wird/ beyz-gefallen. Andere aber haben dessen vornehmste ration n. 8. defectum scilicet corporis delicti, dahero nicht vor sufficient gehalten/ weil auch/ wenn gleich utriusque Correi confessio vorhanden/ dennoch in delictis facti non permanentis, wor-unter der Ehebruch gehöret/ kein corpus delicti in rei ver-i-tate, sondern nur ex interpretatione & æstimatione juris zubefinden; welches gedachter Herr CARPZOVIS selbst nicht in Abrede seyn könnte/ indem er d. n. 8. also schriebe: utrius-que partis confessionem sufficientem visam fuisse ad re-præsentationem corporis delicti; Woraus sie ferner schlief-sen wollen / daß in dergleichen Fällen/ wo unius partis con-fessio categorica & clara verhanden / und hierüber aus allen Umständen soviel abzunehmen/ daß das beschobene Bekanntniß der Wahrheit ganz ähnlich/ also auch non sola confessio unius rei, sondern auch die Umstände und andere indicia religio-

religionem judicis instruere/ so wohl die repräsentatio corporis delicti, als in utriusque confessione, statt habe/ in noch mehrern Erwiegung/ daß zuweilen auch unius confessio den Richter ad dictandam poenam ultimi supplicii zu bewegen pflege/ wie dergleichen Fall sich bey denen Hexen ereignet/ so die Vermischung mit dem Teuffel gestehen/ welche obgleich des Teuffels Geständniß ermangelt/ dennoch mit dem Feuer gestraffet werden können. Stellen derowegen zu Eur Chur Fürstl. Durchl. Gnädigsten Gefallen/ ob Sie es bey der Doctrina CARPOVII bewenden lassen/ oder in Be trachtung derer von einigen unsers Collegii angeführte rationen, hierinnen etwas anders und gewisses zu constituiren gnädigst geruhen wollen.

## §. XXXIII.

Videamus nunc, quid in recessu habeat illa limitatio, quod confessio adulteri tormentis extorta ad repräsentandum delicti corpus sufficiat, adeoque capitalis pena tali casu tuto infligi queat. Unde Doctores, qui ad res Criminales commentari sunt, cautelæ loco commendare solent, ut correus potius confiteatur ante, quam in tortura; quod priore casu extra ordinem, posteriori autem capite plectatur. Autor hujus opinionis, in foro receptræ, est CARPOVVS in *Pr. Crim. P. 2. Q. 60. n. 39. seqq.* Ad quam firmandam primo recitat specialem Constitutionem D. Augusti Elect. Saxon. quam hic commemorari, operæ pretium fuerit. Ita vero illius verba habent: Und dieweil sonderlich neulicher Zeit in vorigen Schöppen Stuhl aus der 45. Constat. des Vierdten Theils/ und was darbey angezogen/ und in der Berathschlagung vorgelauffen seyn mag/ durch eine Singularität eingeführet/ daß der Ehebruch und dergleichen heimlich begangene Laster nicht mit geordneter Poen des Leibes oder Lebens/ sondern etwas linder zu straffen

straffen seyn sollte / wann beyde verbrachende Theile nicht zu-  
gleich bekommen / oder gerechtsertiget werden möchten / unge-  
achtet / daß wider den einen Verbrecher genugsame indicia  
ad torturam verhanden / dasselbige Theil auch den Ehebruch  
Selbst gestanden und bekannt. So ist unser eruster Wille  
und Meynung / daß unsre Schöppen dieser singular opinion  
nicht nachsehen / sondern dieselbige gänzlich abthun / und in sol-  
chen Lastern die von Uns gesetzte und constituirte Straffen/  
strackes auff die Confession / so aus der Tortur erfolget / wie  
in andern Fällen / sprechen und erkennen. Immassen diese  
und unserer Räthe Meynung nicht gewesen / durch die bemeldte  
Constitution eine Aenderung oder Linderung der Straffen/  
in solchen Lastern außerhalb derer / so nicht auff der That/  
sondern auf blossem Rühmen und Injurien stehen / zusezen/  
oder eine solche singular opinion aus etlichen notaten einfüh-  
ren zu lassen &c. Evidem in hac Constitutione habe-  
tur, quod confessio in tortura edita, ad condemnandum  
sufficiat, sed quod illa, quæ libere, & sponte, sine cru-  
ciatu torturæ, facta est, minus sufficere debeat, de eo, si  
quid video, nihil quicquam in illa habetur. Satis  
esse dicitur, si indicia, quæ ad torturam sufficient, ad-  
sint; sive confessio deinceps sponte fiat, sive tormentis  
extorqueatur, nihil interest, nec ibi distinguitur.

## S. XXXIV.

Addit C A R P Z O V I V S, hujus dispositionis vix ullam  
aliam dari posse rationem, quam quod confessio in tortu-  
ra facta, indiciis violentissimis ac certis vestita sit,  
cum reus absque indiciis ejusmodi præcedentibus, præ-  
sertim in Crimine adulterii occulto, torturæ subjici ne-  
queat; proinde, licet hoc casu adulterium testibus &  
ipso facto probatum non fuerit, ex violentissima tamen  
præsumtione, quæ ex indiciis præcedentibus, confes-

D

sione

fione delicti, ejusque perseverantia oriatur, id perpetratum esse, tuto colligi posse. Atqui idem de Confessione ante torturam facta affirmari posse, palam est. Quid enim, si reus, prægnantibus indiciis gravatus, tormentisque subjiciendus sponte Crimen fateatur, ut eum torqueri necesse haud sit, quæ ratio, quæso, reddi potest, cur talis confessio libera ad ultimum supplicium sufficere non æque debeat, quam confessio tormentis expressa; cum utique indicia, quæ ad torturam sufficiant, concurrant? Oedipi loco mihi sit, qui hic idoneam diversitatis rationem allegare sciat. Senxit hoc *illusfris Dn. Bergerus.* Hinc in *Elect. Jurispr. Crim. Membr. IV. §. 1.* in fin. p. 135. hanc limitationem addit: Modo reus initio statim inquisitionis delictum fateatur, antequam Judex indicia, quæ contra ipsum militant, exactius perquirat; alioquin, excitatis deinceps indiciis indubitatis, ad quæstionem sufficientibus, ipsi hæc cautio parum proficiet. Altero vero existimat *CARPZOVIVS* c. l. n. 45. ubi quæstionem format: *Virum, si reus de adulterio suspectus, in indiciis gravatus, & previa sententia questioni subjiciendus, in presentia Carnificis, & loco tortura, antequam tamen ea adhibeatur, delictum confessus fuerit, mortis poena affici possit, etiam si coadulterans persona in fuga sit?* Vbi recte *CARPZOVIVS* philosophatur, quando ait, parum interesse videri, an tortura fieri debeat, an facta sit, & an reus quæstioni jam subjiciendus, aut subjectus, Crimen confiteatur. Sed nullum idonem fundamentum allegat, cur ipsi, & Scabinis Lipsiensibus, contraria sententia placuerit. Cui sane Electoralis Sanctio, superius citata, nullum robar addit. Neque enim, ut in ante dictis ostensum est, illa torturam prærequisit, sed tantum confessionem, tormentis extortam, ad condemnandum suffice-

re,

re, statuit, non vero idem de libera confessione, si prægnantes conjecturæ de crimine admisso concurrant, negat. Argumentum vero, a contrario sensu desumptum, hic nullo modo applicari potest. Quum observantiam Scabinatus, de utriusque rei confessione ad poenam capitalem necessaria, tanquam singularem opinionem, expressè rejiciat.

## §. XXXV.

Ad Cerebrinam certitudinem corporis Delicti, in Crimine Homicidii, in primis etiam Judicium Medicorum de lethalitate Vulneris, si hoc necessarium esse credatur, referri debet. Evidenter hoc regulariter juxta præscriptum *Ord. Carol.* adhibendum esse, haud nego; eidemque sine dubio maximum pondus inest. Sed quod citra talern inspectionem Capitis poena nunquam homicidæ dictari queat, ad formia Doctorum pertinet, quibus umbra interdum pro Junone est. Etenim, quod nec inter ipsos Medicos circa definitionem Vulnerum Lethalium conveniat, aperissime ostendit *Dv. Stabl. in Diff. de Vuln. Lethal.* Mirum est, quantopere illorum Judicia, circa hoc negotium, sæpen numero differant. De quo legi merentur exempla, relata a *D. Barthio in Hodeg. forens. c. 6. p. 990. seqq.* ubi & distinctio inter vulnera, quæ absolute, & quæ tantum per se Lethalia sunt, occurrit. Ita vero planissima elaborandi via homicidis dabitur, atque divina Sanctio facili opera excludi poterit, ut recte judicat *D. Beyerus Pos. ad Pandect. tit. Ad L. Cornel. d. Sicar. pos. 6.* Nec vero crediderim, antiquissimis temporibus olim, cum DEVS legem de homicida morte plectendo ferret, solem nem cadaveris sectionem, in usu fuisse. Saltem sacer Codex de illa filer. Cujus,

D 2 saltem sacer Codex de illa filer. Cujus, si

si necessaria esset, mentio in re tam gravis momenti non facile prætermissa fuisset.

### §. XXXVI.

Neque vero id, quod vulgo contendunt, laudata *Conf. Crim. præcipit.* Nempe juxta art. 147. si quis, accepto vulnere, post aliquod temporis intervallum obiisset, dubiumque relinqueretur, an mors ex vulnere secura esset, nec ne, temporis ratio haberi, idque attendi solebat, an brevi tempore post vulnus inflictum decessisset, nec ne. Medici etiam & Chirurgi, & quicunque demum ægroti curam gesserat, de ejus regimine testes vocabantur; medicamentis etiam, quæ adhibita essent, sollicite examinatis, ut conjectura inde capi posset. Sed in hujusmodi argumentorum locum successit inspectio & sectio Cadaveris juxta Art. 149. in quo tamen de absoluta, hanc adhibendi, necessitate, & quod citra eam pœna capitalis imponi nequeat, ne verbulum quidem habetur. Add. Dn. BODINI *Diss. de non requirenda Letabilitate Vulneris* tb. 10. seqq. BEYERVS *Del. Jur. Crim. ad Art. 146.* seqq. Meretur hic inter casus dubios Potentissimi Reg. Polon. Decisioni a Collegiis Juridicis Saxonie oblatis legi *Quesitum X. & XI.* quod utrumque recitat Illustris Dn. BERGERVS *Elec. Jurispr. Crim. p. 168.* seqq.

### §. XXXVII.

Speciatim in Crimine Infanticidii, quando de partu, an vixerit, nec ne, quæritur, certitudo Corporis delicti sp̄e ex incertis & fallacissimis indicis colligi & aestimari solet. Ubi primo occurrit notissimum Experimentum, quod, Pulmonis in aquam injectione, fieri solet. Cujus falsitatem cum plures jam, JCti aequè, ac Medici, demonstraverint, dicta ab illis repetere, & actum agere

agere nolumus. Vid. SCHOEPFER. *Diss. de Palm. infant. nat. vel submerg.* BOHN. d. Off. Med. P. 2. c. 6. p. 66. seq. D. HEIL d. Proc. Inquis. c. 1. §. 7. Magis perplexa, & altioris indaginis quæstio est, quid faciendum Judici, si infanticidii rea, partum vixisse confiteatur quidem, sed rationem scientiæ talem alleget, quæ nihil certi omnino inferat. Sic in ipsis rerum argumentis non semel evenit casus, ut mater, tam atrocis criminis rea, contenderet, se de vita infantis propterea certam esse, quod illum se movere, senserit; sed vagitum & ploratum se audiisse, negaret. Qualis confessio, quum fallaci conjectura nitatur, non statim certum reddit delicti corpus. Cum fieri possit, ut tali casu mater in errore versetur, neque motus ab intrinseco principio venerit; sed aliunde ortus sit. Et quamvis, ad corpus delicti certius erendum, tormenta aliquando adhiberi posse, haud negem, non tamen appetet, quomodo tali casu torturæ locus esse queat. Quum rea utique haut neget, sed fateatur, partum vixisse. Quid vero consiliu tandem capiendum erit? Puto, ante omnia reliquas etiam circumstantias omnes diligentissime ponderandas, & speciatim Medicorum testimonia atque Judicia examinari debere, utrum circa quæstionem, de vita partus, conspirent, an dissideant; ita ut hoc posteriori casu aliquando tutius sit, ab ultimi supplicii poena recedere, & extra ordinem ream punire, quam conscientiam suam ancipiti periculo exponere, si forte partus nunquam vixerit, aut saltem mortuus jam fuerit, antequam eum enixa esset mater. Notabile exemplum, quod ante plures annos Collegio JCtorum Vitebergenium oblatum fuit, late recensuit, sententiasque & defensionum momenta cum reliquis eo pertinentibus Actis excerptis,

D 5

qui


qui tum reæ Patronus atque defensor fuit, D. HEIL d.  
*Proc. Inquis. pag. 503. seqq.* Id vero, cum a regula abeat,  
 non nisi propter graves causas, & singulares circum-  
 stantias, quales in memorato casu concurrebant, locum  
 habere debet. Ordinatum enim & regulariter, ubi fir-  
 mum & consentiens Medicorum judicium de vita par-  
 tus adest, eumque vixisse, & a se occisum esse, rea fa-  
 tetur, utut non adeo certum & infallibile indicium, ex  
 quo vitam ejus collegerit, alleget, a poena tamen or-  
 dinaria per intempestivam misericordiam defleti haud  
 debet; Quod alias facilis hæc esset via, meritissimis  
 poenis se subducendi, atque infinita infanticidia impunita  
 relinquerentur.

## §. XXXVIII.

Sed & hoc ad Corpus Delicti in pœnis capitalibus inter-  
 dum perperam requiri videoas, ut rei confessio per tormenta  
 extorqueatur. Graviter hoc monet Potentissimus Rex  
 Polon. Dominus noster longe Clementissimus, in recen-  
 tissimo Mandato, wegengeschwinder Exequirung derer Raus-  
 ber und Diebe/ quod hoc ipso anno publicatum est. verb.  
 Nachdem auch ebener massen in angezogenem Mandat von 16.  
 Septembr. 1710. ausdrücklich schon sanciret/ weisen durch  
 vergleichen Einbrüche/ gewaltsame Thaten und Raubereyen  
 nicht nur der öffentliche Land- und Hauss- Frieden gebros-  
 chen wird/ sondern auch solche gemeintiglich des Nachts gesche-  
 hen/ und die Erfahrung zugleich bezeuget/ welcher gestalt un-  
 terschiedene/ so dieses Unglück betroffen/ sowohl ihres Vermö-  
 gens beraubet/ als auch um solches anzugeben/ und kein Ge-  
 schrey zu machen/ bis auff den Tod gepeinigt/ geschlagen und  
 verwundet worden/ solchemnach aber/ was massen dieses böß  
 zusammen rotierte Volk darbey zugleich arantium occidendi  
 habe/ offenbahe/ daß so dann diejenige/ welche bey dergle-  
 chen That angetroffen und verfolget würden/ ohne Unter-  
 scheid/

scheid / ob Sie solchen Selbst verübet / oder nur auff der Wa-  
che gestanden / ingleichen / ob Sie was von dem Raube genos-  
sen oder nicht / an dem Leben / nach Beschaffenheit der vorsal-  
lenden Umstände / durch den Strang oder Rad gestraffet /  
diese Straße auch an der Land - Straßen der Stadt oder  
Dorfes / wo die That geschen / exequirt werden / und es  
hierbei auff ihr eigen Bekanntniß / und das solches præcise  
extorquiret werden müsse / gleichfalls eben nicht ankommen /  
sondern gnug seyn solle / daß Sie bey dergleichen Gele-  
genheit entappet worden. Qua occasione reliqua etiam  
capita, quæ in citato Mandat, publicæ securitatis, &  
tranquillitatis causa, constituta sunt, breviter anno-  
tasse, operæ pretium, neque Lectori ingratum, fore  
puto. Nempe eodem Mandato cautum est, quod in  
crimine furti violenti, & cum effractione commissi, so-  
la etiam gravis suspicio ad fustigationis poenam & con-  
demnationem ad Opus publicum sufficiat. verb. Gestalt  
denn auch nicht minder bey solchen Personen / wieder welche  
ein zulänglicher Verdacht / daß Sie von einer solchen Bande  
seyn möchten / füglich zu fassen / der starke Staufen-Schlag  
und noch darauf der Bestungs-Bau statt haben soll / wann  
bey ihnen die zu gewaltfamen Einbrüchen brauchende Instru-  
menta von Brech-Stangen und dergleichen / oder auch eini-  
ge von denen geraubeten Sachen / welche der Eigenthums-  
Herr / deme / Sie geranbet werden / eydlich bestärcket / oder  
dessen Er sonst durch zwey tüchtige Zeugen zu überführen /  
befunden werden / und der beschuldigte nicht sofort im conti-  
nenti beybringen kan / wie und auff was Art er zu denensel-  
ben rechtmäßiger weise gekommen / da denn dessen eigenes  
Geständniß ebenermässen nicht nöthig ic. Præterea idem  
Mandatum omnes, quæ super valore quinque aureorum,  
quomodo illi computari debeant, ortæ & in foro agitatæ  
sunt

Sunt lites, saluberrime recidit verb. Wir wollen auch nicht weniger die gemeine und Hauss-Diebe / wenn sie soviel als das in unsrer 32. Constitution Part. IV. gesetzte Quantum beträget / welches wir hiermit umb gleichfalls allen Scrupel mit Ausrechnung des Werthes derer besten Ungarischen Gulden zu vermeiden / aufz zwölff Thaler 12. Groschen curr. determinaret sc. Sed & res furtiva in posterum in Saxoniam restituenda est, & condicatio furtiva locum habet, quamvis sur ultimo supplicio affectus sit. verb. Gleichwie nicht minder die bisher erzehlte Verbrecher / so mit Leibes-Straffe oder Festungs-Bau belegt werden / sowohl als derer hingerichteten Missethätere Erben / ob schon das gestohlene Guth in natura nicht mehr zugegen / und bey ihnen verhanden/ dennoch aus sothaner Delinquenten Vermögen / denenjenigen / welchen das ihrige entwendet worden / solches hinz wieder gehörig / nach dem Werth/ den allenfalls der Verbraute und Bestohlene eydlich anzeigen wird / zu ersuchen. Quod & æquitati naturali, & Juri Civili, maxime consentaneum est. Namque poena suspendii ad intereste publicum, restitutio autem rei ablatæ ad satisfactionem privatam pertinet. Denique in casu violentæ & seditionis hujusmodi effractionis ne formaliter quidem Inquisitione est opus; sed sola responsio summaria sufficit. verb. Gleichwie nicht minder bey ereignenden casu und darauff erfolgender Untersuchung / auch der Zeit nach / keine Weitläufigkeit gestattet / sondern sofort ohne vorgängigen sonst gewöhnlichen Inquisition-Process, bloß aufz geschehene Summarische Verhör und Versendung derer hierüber gehaltenen Registriaturen und Acten sc.



*NOBILISSIMO, CONSULTISSIMO QVE*  
*VIRO*  
**JO. GODOFREDO**  
**VOGELIO,**  
S V M M O S  
IN VTROQVE JVRE HONORES  
CVM LAVDE CAPESENTI  
*S. D.*  
**PRAESES.**

**E**t si de Virtute, Eruditioneque  
tua singulari, Nobilissime  
VOGELI, tam præclare o-  
mnes, qui te norunt, existimare so-  
leant, ut superflua sit omnis prædi-  
catio mea; tamen nunc res ita po-  
stulat, ut gratulandi officio defun-  
gi necesse habeam. Jucunda est  
E mihi

mihi recordatio illius temporis,  
quo in hac Academia Jurispruden-  
tiæ studio operam dedisti, meaque  
consuetudine interiori usus, quan-  
tum ingenio, industriaque posse,  
quotidianis prope speciminibus,  
nunc privatim, nunc publice, e-  
ditis, & mihi, & universis, testa-  
tum fecisti. Mirati sumus omnes  
excitatissimam illam indolem tu-  
am, & in literis assiduitatem; quum  
semel hoc curriculum ingressus,  
non interrupto diligentia ordine,  
strenue pergeres, procederesque  
indies longius, neque ullam tantæ  
laudis amplificandæ occasionem  
prætermitteres. Tum vero a no-  
bis digressus in luce versatus es,  
atque usu rerum, & causis in foro  
orandis doctrinam ita confirmasti,  
ut nemo sit, quin Te eximio Reip.  
gradu

gradu dignum, atque ad majores  
honores & natum, & summo stu-  
dio factum, judicet. Quocirca rem  
Te dignam suscipis, & viam Tibi  
ad majora virtutis præmia, S  
Te exspectant, præparas  
summum in utroque Ju  
rem Academicum non d  
quem jamdiu Virtus tua  
magnoque omnium applausu, ne-  
que vulgari excellentis doctrinæ  
tuæ prædicatione & testimonio, ac-  
cipis. Quam gloriæ accessionem  
egregiam Tibi impense gratulor,  
atque, uti bene Tibi ac prospere,  
& ex animi sententia, eveniat, opto,  
neque a Te quicquam ardentius  
expeto, & rogo, quam ut mei,  
meaque, in Te formando, erudi-  
endoque, curæ memoriam perpe-  
tuo conserves. Ego, qui ex eo, in  
quo

quo constitutus sum, vitæ genere,  
incredibilem voluptatem capio, &  
cui locum mutare, ut falsus, &  
neficio, quo Autore, ortus rumor  
tum per ferebat, minquam in men-  
quotidem, nec, quoad vivam, ut  
nunc priuenit. Te votis sinceris  
ditis, & in tuamque virtutem, &  
rum sociorum positos, omnemque a-  
genti rationem, quandocunque  
occasio data fuerit, prædicare  
non desinam. Dabam Vitem-  
bergæ d. V. Decembr.

A. M DCC XIX.







VD 18

ULB Halle 3  
000 654 957



TA-DC





Gr. 2, num. 26  
26

*21*

*P. H. B.*

*DE*

*DISSE*  
*CEREBRINA*  
*CERTITUDINE*  
*CORPORIS*  
*DELICTI*

QVAM  
PRAESIDE

JO. BALTHASARE WERNHERO

JCTO, POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS  
ET ELECT. SAX. CONSILIARIO AVLICO  
ET ORDINARIO, ETC.

IN ACADEMIA VITEMBERGENSI

D. DECEMBR. M DCC XIX.

PRO CONSEQUENDIS  
SVMMIS IN VITROQUE JURE HONORIBVS

AC

PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS

PVBLICE VENTILANDAM PROPONET

AVCTOR

JO. GODOFREDVS VOGELIVS

DRESDENSIS.

VITEMBERGAE, EX OFFICINA VIDVAE GERDESIAE.

